DE PHLEBITIDE PUERPERARUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXXI. M. MARTII A. MDCCCXLVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOAN. AUGUST. ARMIN. OPITZ

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

C. SEYDELER, med. et chir. Dr.

H. MULERT, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

OPTIMO ET DILECTISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO ERUDITISSIMO

E C K E R T,

MEDICO PRACTICO,

C O N S O B R I N O D I L E C T I S S I M O

PRO AMICITIA

D. D. D.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Perlustranti mihi diversas scientiae medicae disciplinas, ut materiam eligerem, quam accuratius tractaturus essem, mox visum est, minorem tantum partem adire et a majori fere abstinere necesse esse. Nam quum scientia nostra hac aetate tantopere profecerit, ut ea, quorum antea ne vestigia quidem fuerant, in aperto posita sint et celeriter effloruerint, exempli gratia auscultatio et nervorum morbi, eo difficilius aliquid novi exquirendi facultas ei datur, qui diversas scientiae medicae disciplinas simul amplecti adhuc coactus, singulari rei nondum operam dare potest, nisi peculiaribus quibusdam conditionibus adjuvatur et praecipue duce eruditissimo gaudet. Animum igitur vertentes primum ad anatomiam et generalem et comparatam, ut taceam de speciali, quae plane perfecta est, atque ad physiologiam, microscopio tantum adhibito res nondum patefactas in lucem proferre valemus, quae quaestio-

nes magnum otii in rem quandam unice consumendi impendium postulant. Etiam pathologia generalis, quia plurimis et accuratissimis quaestionibus innititur, e quibus de generalibus morborum regulis concludendum sit, nihil habet, quod mihi vastum medicinae atrium non longum tempus permeanti occasionem certi aliquid eruendi praebuerit. Restat pathologia specialis ex qua materiam mihi elegi, quam oculorum aspectu confirmatam et compluribus exemplis instructam habeo, et jam pro viribus meis tractatam lectori benevolo tradam.

LITTERATURA.

Andral, Clinique méd. T. II. p. 579.

R. Lee in Medico-chirurg. Transact. Vol. XIX.; Schmidt's Jahrbüch. T. XI. p. 298.

Bartsch in Schmidt's Jahrb. T. XIII. p. 214.

Haeser in d. Allg. med. Zeitung. 1837. N. 17.

Canstatt in von Graefe und von Walther's Journal. T. XX.

Helm, Monographie der Puerperalkrankheiten. Zürich 1839. p. 34.

Kiwisch, Die Krankheiten der Wöchnerinnen. Prag 1840.

Eisenmann, Schmidt's Encyclop. T. VI.

Moser, Lehrbuch der Geschlechtskrankheiten des Weibes. Berlin 1843. p. 603.

Reil Fieberlehre. T. II. p. 88.

Breschet in Hodgson Traité des mal. des artères et des veines. T. II. p. 433.

St. Czarnowski Dissertatio de phlebitide. Vilnae 1823.

Davis in Medico-chirurg. Transact. Vol. XII. p. 419.
R. Lee in Medico-chirurg. Transact. Vol. XV. P. II. p. 367. Sammlung auserlesener Abhandlungen. T. XXXVIII. p. 483.
R. Lee l. c. Uebersetzung v. Schneemann. Hannov. 1834.
Arnott in Sammlung auserlesener Abhandlungen. T. XXXVII. p. 616.
Velpeau in Arch. gén. 1824. Oct. p. 223.
Dance in Arch. gén. 1828—29.
Balling, Zur Venenentzündung. Würzburg 1829. p. 286.
Andral u. Louis in Arch. génér. T. X. p. 338. Frorieps Not. T. XIV. Nr. 7. p. 105.
Tonnelé, Des fièvres puerperales observées à la Maternité pendant l'année 1829. Par. 1830.
Dance u. Arnott. Ueber Venenentzündung. A. d. Englisch. v. Himly. Jena 1830.
Cruveilhier, Anat. patholog. Livr. 4 u. 27; Universal-Lex. T. XI. S. 98.
J. L. Casper, Comment. de phlegmasia alba dolente. Hal. 1819.
D. Davies in Medico-chirurg. Transactions. Lond. 1823. Vol. XII. P. 2. Sammlung auserles. Abhandl. T. 31. p. 699. Froriep Notizen. Bd. IX. p. 9.
E. Böhr in Siebold's Journ. T. VII. p. 2. 1827.
Treviranus in Heidelb. klinische Annalen. T. V. p. 592.
Naumann, Med. Klinik. Bd. 11. S. 736.
Eichhorn in Heidelb. med. Annalen. T. I. Schmidt's Jahrbüch. T. XI. p. 48.

Petrenz in v. Siebold's Journ. T. XV. Schmidt's Jahrbüch. Bd. XXIV. p. 75.

Holscher in Hannöv. Annalen. T. V. H. 2. Schmidt's Jahrb. Suppl. T. III. S. 167.

Engelmann in Rust's Magazin 1841. T. 48. Schmidt's Jahrbüch. T. XXXIII. p. 27.

Bouillaud im Universallexicon. T. XI. p. 116.

AETIOLOGIA.

a) Causae praedisponentes ex partu.

Omnium, quae sunt in corpore muliebri conditionum fere nulla tam facile occasionem morbi cujusdam praebet, quam puerperium. Etenim causae magni momenti partu ipso afferuntur, quae puerperarum valetudinem, jam per se a statu morboso non multum discrepantem, infirmam atque adversam reddunt. In quarum numerum potissimum mutatus per graviditatem sanguis referendus est, cujus major fibrinae copia per illud tempus ad foetum nutriendum adhibita etiam post partum restat, et priusquam lactis secretio plane effecta est, facile occasionem exsudationum inflammatoriarum affert. Haec propria sanguinis qualitas ex febri quoque elucet, quae lactationi antecedens fortiore ad locos excretorios affluxu provocatur. Partes enim, quae nunc corpori superfluae, removendae sunt, quare organa quaedam ad majorem excernendi vim incitantur, et, praecipue adaucta actione cutis et uteri, ac secretione mammarum recenter instituta, sanguis ad priorem copiam re-

ducitur. Sed praeter vasorum systema etiam alterum corporis humani, quod est nervorum, affectum est, quum non solum mechanica in partu actione, sed etiam doloribus, quos vocant jure conquassantes, vires valde exhauriantur, et facile irritatio ex nervis sensibilibus ad motorios reflectatur.

Deinde in loco ipso, qui pariendi particeps erat, vasis, quae, soluta placenta, in utero aperta restant, occasio noxas in sanguinem inducendi offertur, quae facile partibus recipiuntur, quae siculi peritonaeum ante partum extensae priorem contrahendi vim non recuperarunt, et irritamento adducto ex inflammatione celerem fibrinae exsudationem demittunt.

Puerperae igitur naturali corporis constitutione, maxime nervorum et sanguinis, omnino ad morbos diversi generis inclinant, ita ut causae cujusque modi internae et externae, imprimis epidemiae et endemiae, varias morborum formas praesertim in organis, quae ex partu minorem resistentiam praebent, facile excitare possint. Itaque nemo opinari potest, nonnisi unum morbum, qui febris puerperalis nominatur, mulieres post partum invadere; sed sanguine mutato et vi nervorum magnopere afflicta res cujusque generis feminas multo facilius quam mares ita inficere possunt, ut morbo afficiantur, cui ex causis praedisponentibus et loco affecto signa quaedam propria imprimuntur.

Haec indoles partu ipso saepe augetur, qui, si propter impedimenta mechanica per longum tempus retardatur, prostratione virium et organis genitalibus irritatis non solum indolem, sed etiam morbum producit.

Dixi haecce, quae pertinent plurimam partem ad physio-

logicum puerperarum statum, ut basin mihi constituerem, ex qua morbum specialem, cujus descriptionem mihi proposui, tractare possem.

b) Causae occasionales.

Ad efficiendam phlebitidem duae causae jam ex partu conveniunt, quarum est altera, quam supra diximus, propria sanguinis qualitas. Haec in omnibus hisce morbis a compluribus medicis ita respecta est, ut specialem apud puerperam crasin supponerent, quae per se in diversis corporis partibus inflammationes proferat et eodem modo ac rheumatismus acutus agat. Quod mihi illo tempore factum esse videtur, quo singularum inflammationum natura nondum perspecta erat et, quamvis sanguinem propter priorem ad organa genitalia affluxum et majorem fibrinae copiam non parvi momenti esse putem, tamen ad phlebitidem provocandam alias causas adhuc requiri censeo, ad quas me nunc convertam. Soluta enim placenta uteri venae lumina aperta offerunt, quae inflammatione adhaesiva et uteri contractione ut in plurimis casibus claudi, sed etiam in suppurationem transire possunt. Cujus infausti exitus partus ipse interdum occasionem praebet, qui, si cum magna uteri contusione conjunctus, aut placenta difficile remota est, transitum, ut in omnibus vulneribus contusis, in suppurationem affert. Tale exemplum in muliere vidi, in qua, infantis capite propter pelvis angustiam, quam vocant rhachiticam, perforato et extracto, vehemens uteri et peritonaei inflammatio apparuit. Quae tam rapide et tamen occulte decurrebat, ut, dolore deficiente atque vomitu, paullo ante

mortem demum cognosceretur, ac ne methodus quidem antiphlogistica cum ullo successu instituta esset. Sed egregia vestigia morbi, cujus periculum propter mulieris debilitatem et cerebri affectionem tam diu in occulto fuerat, in utero et in cavo abdominis reperta sunt. Venae, quae plexum pampiniformem in regione tubarum formant, in vastos puris sinus extensae erant, et peritonaei inflammatio propter sanguinis qualitatem adeo processerat, ut fibrina exsudata plane in telam pseudomembranaceam conversa esset, quae singulas intestini partes conjunxerat et maxime in uteri regione jam strictiorem ligamenti formam praebebat.

DECURSUS ET SPECIES.

Tam celerem quam illum decursum phlebitides hujusmodi, quas ex causa traumaticas dicere possum, maximam partem capere non solent, sed, affectis primum uteri venis, saepe in proximas hypogastricam et maxime cruralem transeunt, quam simul cum tela cellulosa tumefactam in formam funis a ligamento Poupartii usque ad genu sentire potes. Tum quoque lumine venae obstructo in extremitate inferiore phlegmasia alba dolens apparet, quae exsudatione in telam cellulosam, quia resorptio impedita, efficitur.

Praetermissis affectionibus his localibus, symptomata restant, quae generalem sanguinis infectionem monstrant. Exsudato enim pure intra vasorum lumina, aegrotae, quod initium morbi esse solet, magno horrore perfunduntur, ut omnibus in casibus fieri solet, si res noxiae sanguinem depravarunt. Horripilatio est signum pathognomonicum phlebitidis, quod in omnibus partibus, ad quas sanguinis circulo materia inficiens adducitur, inflammationes statim sequuntur, praecipue autem in pulmonibus forma pneumoniae lobularis, tum in membranis serosis atque etiam in articulis, in ligamentis, ubi eadem ac rheumatismus acutus symptomata prae se ferunt.

Restat mihi proprium phlebitidis genus, quod materiis producitur, quae de placenta aut de foetus velamentis reliquae, postquam cum uteri secretis putrefactae sentinam formaverunt, venis apertis accipiuntur, et inflammationes quas dicimus septicas adducunt. Ex putrida materiarum qualitate

concludere possumus, uterum ipsum participem esse gangraenae, quae etiam organa genitalia externa latissime vexare solet. In venis deposita haecce inquinamenta eodem, quo pus, modo agunt, et ubique eandem parenchymatis putrescentiam ac primo in loco afferunt. Phlebitis igitur singula pars totius sanguinis morbi est, quae tamen plurimum valet, quia localem affectionem, ut taceam de febri, in universalem mutat, et novas gangraenae sedes inter se conjungit.

Elucet talem morbum celeriter vires prosternere et colliquationem paucis diebus producere, quare febris torpidum vel septicum characterem praebet et, quaecunque excernuntur, jam foetore putridam sanguinis infectionem ostendunt.

PROGNOSIS

est valde dubia habenda, quia phlebitis puerperarum in corporibus jam debilitatis facile exitum in mortem capit.

Signa post mortem.

Signa, quae post mortem inveniuntur, exposituri eadem, qua antea ratione, a loco primum affecto exire et tum ad remotiores procedere volumus. Uteri venae et ovarii quoque, praecipue in regione tubarum, ut supra dixi, ita pure impletae sunt, ut, incisione facta, magna guttarum copia effluat;

praeterea coagula decolorata et, si inflammatio gangraenosa fuerat, etiam sentina intra lumina reperiuntur. Vasorum parietes crassiores facti lamina pseudomembranacea fibrinosa in superficie interna obtecti sunt, et in externa interdum exsudationem aut purulentam aut glutinosam in tela cellulosa depositam praebent. Etiam substantia uteri ipsa in partibus quibusdam, maxime in fundo inflammata neque ad illud volumen, quod ante graviditatem tenebat, contracta cavitates interdum continet, quae ruptura vasorum factae easdem quas illa materias ostendunt. Ab uteri venis inflammatio ad proximas hypogastricam, cruralem atque adeo ad cavam ascendentem transfertur, quae eodem modo mutantur et, si plane oblitteratae sunt, ligamentorum aspectum offerunt. Maximam autem partem venae cruralis inflammationem non extensione phlebitidis ex utero, sed puris irritamento effici puto, quia longum saepe est interstitium inter uteri et cruralis phlebitides. Quod sine dubio concedendum mihi videtur, si in pulmonibus inflammationes lobulares aut abscessus inveniuntur, qui pure in sanguinem recepto atque in parenchymate deposito veluti corpore alieno producuntur.

Symptomatum phlebitidis brevibus verbis mentionem feci, quod, quomodo in corpore vivo exstet, in morbo singulari explicando accuratius describam.

MONOGRAPHIA.

Carolina Raetz, triginta duos annos nata, mater trium liberorum sub mensis Octobris finem iterum facile pepererat, sed tertio die post partum repente magno horrore perstricta, dolores pungentes in parte abdominis inferiore sentiebat, qui ad venarum uteri inflammationem referri poterant. Applicatis igitur triginta hirudinibus et post aliquod tempus eodem numero, dolores disparuerunt, et puerpera per octo dies valetudine satis bona gaudebat. Tum vero simul cum illo incommodo horrore, pectus in latere dextro affectum est, ita ut dolores et magnae respirationis molestiae aegrotam torquerent, quae cucurbitulis et vesicatorio magno cum emolumento adhibitis iterum profligabantur. Sed post intermissionem paucorum tantum dierum, horripilatione iterum reversa, dolores et tumor in femore sinistro exstiterunt, qua in conditione puerpera primum nobis in conspectum veniebat.

Propter magnam sanguinis jacturam et multas calamitates jam superatas, valde debilitata et consumta nobis apparere debebat facie subflava, quam medici quidam signum phlebitidis pathognomonicum habent, et pulsu anaemico prope vacuo, qui centum et viginti octo ictus per sexagesimam horae partem numerabat. Femoris tumorem perscrutantes venam cruralem strictam, ut funem, et maxime dolentem sub ligamento Pou-

partii, igiturque phlebitidem inveniebamus, cui jam aliis in locis similes affectiones antecesserant. Luminibus vasorum obstructis et sero in telam cellulosam exsudato, femur ab arcu crurali usque ad pedem plane tumefactum erat, ita ut nullo modo moveri posset, quomodo in phlegmasia alba videmus, et imprimente digito cavitas relinqueretur. Utrum phlegmasia oedematosa, an phlegmonosa fuerit, non decernere possum, quod signa aderant, quae ad utramque formam referre licebat, attamen phlegmonosam majore cum argumento pronuntiem propter exsudationem celerem, et quod digito attingenti caloris cujusdam sensus exstitit. Praeter haec symptomata lochiorum et lactis seretionem plane desiisse, et accuratam perscrutationem organa genitalia dolore et calore libera invenisse commemorandum est. Urina turbida magnam sedimenti copiam in fundo formabat et, disquisitione chemica instituta, acidum phosphoricum et uricum cum basibus simul conjuncta exhibebat, quae partu postea ita discedere solent, ut prospero successu acidum uricum, infausto autem acidi phosphorici conjunctiones praevaleant. Etiam lingua, quamquam satis pura, singularem aspectum in circumscripta superficiei parte, nempe escharam, quam acida mineralia producere solent, oculis obtulit. Quod symptoma nobis ingratissimum esse debebat, quia fortasse incipientem inflammationem aphthosam indicare poterat, quae per totum tubum cibarium extensa celerem vitae finem adduxisset.

Quod attinet ad aetiologiam, nihil accusari poterat, quod venae inflammationem protulisset, nisi endemiam constitutio-

nem adducere velis, quum paullo post ex eodem instituto obstetricio adhuc tres phlebitide corriperentur.

Prognosis propter tot symptomata gravia et perniciosam morbi formam valde dubia erat, praesertim quum vires valde exhaustae essent.

Cura ita instituta est, ut, primo phlegmasiae die quindecim hirudinibus ad femur applicatis, tum propter mulieris debilitatem sanguinis emissiones evitarentur, sed in crure affecto, ungento mercuriali cum kali hydrojodico infricto, cataplasmata emollientia imponerentur. Etiam in usum internum kali hydrojodici drachma per unum diem consumenda praescripta est; quae remedia tanto cum successu adhibuimus, ut postero die femur minus tumefactum et mollius videremus, quamquam venae inflammatio porro manebat.

Gradatim tum sequenti tempore, quaecunque adversa fuerant, symptomata evanuerunt: phlebitis enim cum comitante phlegmasia in inferiori tantum cruris parte adhuc perstabat; urina eam, quam supra diximus, meliorem qualitatem recuperabat atque adeo e lingua perniciosa illa eschara plane disparebat. Etiam faciei color, qui ad sanitatem vergere videbatur, effusus erat, ita ut omnia celerem et bene optatum exitum indicare potuissent, nisi perniciosam hujusce morbi naturam cognossemus, nec pulsus frequentiam febrilem conservasset, quae ad anaemiam non sine jure referri poterat. Tum repente noctu post horrorem saepius commemoratum dolores iterum in latere pectoris sinistro apparuerunt, et in eadem abdominis parte usque ad costarum marginem tela cutanea exsudatione lymphatica infiltrata est, quae supra liga-

mentum Poupartii saccum fluctuantem formabat. Dolor pleuriticus matutino tempore discesserat, sed pressione adhuc excitabatur, et auscultatione inspiratio aspera deficiente exspirationis sono audiebatur. Cetera quoque incommoda symptomata iterum reverterant, febris aucta erat et urina, cui magna muci copia inerat, acidi urici loco inprimis ammoniaco-magnesiam phosphoricam et calcariam phosphoricam praebebat. In hisce rebus desperatis quid faciendum erat? Eodem modo kali jodati usum externum et internum cum cataplasmatibus adhibere perreximus, et alvi evacuationes clysmatibus quotidie institui jussimus. Symptoma bonum tunc habendum erat, deficiente vomitu et dolore, quod peritonaeum exsudationis non particeps et rami cutanei venae epigastriae solum inflammati erant.

Praeterlapsis iterum compluribus diebus, oedema parietum abdominalium disparuit et valetudo in molliorem statum ita restituta est, ut aegrota somno jucundo gauderet et, crure nonnisi in surae regione dolente, pulsum fortiorem et minus frequentem, meliorem appetitum atque lochia adeo recuperasset. Sed finis calamitatum nondum venerat, et videre poteras, quanta pertinacia hic morbus diversas corporis partes afficeret, quum quarta septimana post partum noctu aegrota magno cruris dextri dolore repente e somno suscitata est. Phlebitis tam graviter invasit, ut tempore matutino tumor jam maximus a parte superiori usque ad pedem descenderet, et plenam femoris immobilitatem gigneret. Vena, quam sub ligamento Poupartii digito circumdare studebamus, maximum dolorem excitabat, ut statim desistere necesse esset. Omnia igitur

symptomata, quae prioribus jam interstitiis perspicua fuerant, iterum apparuerant; urina magnam calcariae phosphoricae copiam continebat, atque etiam in lingua illa pars quasi combusta, quae primo nobis magnum terrorem excitaverat, iterum instabat. Nunc igitur ad eundem locum, ex quo profecti eramus, reversi, nullum quidem remedium nisi kali hydrojodicum adhibuimus, et quamquam exitum funestum morbum tam pertinacem finiturum esse quotidie nobis metuendum erat, tamen feminam mox conservatam et in priorem statum prope restitutam habebamus. Huc accessit etiam, quod ista in crure dextro phlebitidis invasione ultima quidem sint, sed post aliquot dies etiam abdominis parietes rursus exsudatione lymphatica impleti sunt et dolores quoque pectus ingruerunt.

Ita phlebitis pertinacissima, circulo per sex diversas corporis partes perducta, tandem recessit, quamvis inferiorem cruris dextri partem per longus tempus adhuc tumidam faceret, postquam omnes motus febriles et cetera symptomata plane evanuerunt.

Kali hydrojodici usus, quod facilius quam jodum perfertur, per quinque fere septimanas institutus nulla aegrotae incommoda attulit, quamquam amyli solutione magnae ejus copiae in urina reperiebantur. Cujus bonum effectum etiam in phlebitide traumatica, venaesectione producta, quidem vidi, quare idem maximo cum emolumento in hisce affectionibus adhiberi patet.

Sequentes in aliis puerperis phlebitidis invasiones celerem atque meliorem decursum ceperunt. Nam iisdem remediis

adhibitis nempe kali hydrojodico et sanguinis emissionibus topicis et in una earum etiam generalibus, quia metritis acuta cum phlebitide conjuncta erat, post duas septimanas mulieres plane restitutae e nosocomio decesserunt. Illa autem, gravius affecta etiam nunc mense Marte prope praeterlapso in illo instituto propter femoris tumorem adhuc persistentem retinetur.

VITA.

Natus sum ego, Joannes Augustus Arminius Opitz, die septimo mensis Augusti a. MDCCCXXV. Tempelburgi, pago Pomeraniae, patre Joanne pharmacopola, matre Florentina, e gente Wilss, quibus adhuc vivis ex intimo animo gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Ab anno aetatis sexto usque ad nonum in schola publica erudito postea mihi avunculus praeceptor fuit, a quo ad eum scientiae gradum perducebar, ut annos quatuordecim natus gymnasium Neosedinense, quod tum directore Giesebrecht florebat, adire possem, unde quatuor annis et dimidio interjectis testimonio maturitatis instructus Vratislaviam discessi. Hic mense Majo anni MDCCCXXXXIV in civium academicorum numerum

a rectore magnifico Illustrissimo Regenbrecht receptus, in album facultatis medicae ab Ill. Goeppert, t. t. dec. maxime spectabili, relatus sum.

Praeceptores mihi fuerunt VV. Ill. et Clar. Braniss de logice et psychologia,

Pohl de physica,

Goeppert de botanice,

Gravenhorst de zoologia,

Mueller de chemia,

Glocker de mineralogia,

Otto de osteologia et syndesmologia,

Barkow de anatomia hominis et comparata et circa practicas exercitationes anatomicas,

Purkinje de physiologia,

Benedict de arte fascias imponendi.

Post annum et dimidium Berolinum digressus sum et a rectore magnifico Illustrissimo Trendelenburg civibus aca-

demicis adscriptus, nomen rite professus sum apud Ill. Hecker, t. t. decanum spectatissimum.

Quo loco me docuerunt Ill. Mitscherlich materiam medicam,

Exp. Dann pathologiam generalem,

Ill. Juengken chirurgiam specialem,

Ill. Romberg pathologiam specialem,

Ill. Casper medicinam forensem,

Ill. Schmidt artem obstetriciam,

Exp. Ebert morbos infantium,

Ill. Hecker historiam medicinae.

Clinicis medicis me instituerunt Ill. Schoenlein, Romberg, Wolff; porro Ill. Juengken et Dieffenbach chirurgicis et ophthalmiatricis; denique Ill. Busch exercitationibus obstetriciis.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Absolutis tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec minus examine rigoroso superato, jam fore spero, ut dissertatione cum thesibus palam defensa, summos in utraque medicina honores rite capessam.

THESES.

1. Tuberculosis et scrophulosis non discrepant.

2. Scirrhus exstirpatione non sanatur.

3. In hernia, quae non est incarcerata, operatio a Franco-gallis quibusdum commendata, ut hernia plane tollatur, non est instituenda.

4. Horror est symptoma phlebitidis.